

Centuria II. plantarum ... / ad publicam ventilationem defert Ericus Torner.

Contributors

Torner, Erik.
Linné, Carl von, 1707-1778.
Uppsala universitet.

Publication/Creation

Upsaliae : Excud. L.M. Höjer ..., [1756]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uzvbxyfg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

D. D.

CENTURIA II. PLANTARUM,

QUAM,

CONSENSU EXPERIENTISS. FACULT. MED.
IN REGIA ACADEMIA UPSALIENSI,

PRÆSIDE,

VIRO NOBILISSIMO ET EXPERIENTISSIMO,

DN. DOCT. CAROLO LINNÆO,

EQUIT. DE STELLA POLARI, ARCHIATR.
REG. MED. ET BOTAN. PROFESS. ACAD. UPS. HOL-
MIENS. PETROPOL. BEROL. IMPERIAL. LONDIN.

MONSPEL. TOLOS. FLORENT. SOCIO,

SPECIMINIS ACADEMICI LOCO,

AD PUBLICAM VENTILATIONEM DEFERT

STIPENDIARIUS VICTORINIANUS,

ERICUS TORNÆR,

V. GOTHUS.

IN AUDITORIO CAROL. MAJ. D. II. JUNII,

ANNI MDCCLVI.

H. A. M. S.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX
UPSALIÆ, Excud. L. M. HÖJER, Reg. Acad. Typogr.

Maxime Reverendis atque Celeber. Admodum & Plurim.

**D^N. D^OCT. LAURENTIO
NORING,**

**S:Æ R:Æ M:TIS a SACRIS Supremo, Theol. in Gymnas.
Scar. LECTORI Prim. Consist. ADSESSORI Gra-
vissimo, Ecclesiæ, quæ DEO in Gôthened colligitur,
PASTORI, & adjacentis districtus PRÆPO-
SITO longe Meritissimo.**

**D^N. M^{AG}. P E T R O
STRÔMBOM,**

**Legionis Pedestr. PASTORI
Laudatissimo.**

**D^N. J O N Æ
NORING,**

**CIVI & MERCATORI Upsal.
Perindustrio.**

Dⁿ. LAURENTIO NORMARCK,
Eccles. Fredsbergens. SACELL. Vigilantissimo.

AVUNCULIS, consanguineis PROMOTORI

In gratæ & devotæ mentis tesseram, & ut possit tu
TRONIS, Specimen hocce qualecunque Aca

*Maxime Rever. atque Celeberr. Admodum &
& Spectatissimorum NOMI*

**Cultor hu
ERICUS**

RIS

Reverend. Præclarissimis, Clarissimis, & Spectatissimis,

D_N. DOCT. C A R O L O
NORING,

PASTORI & PRÆPOSITO Eccles.

Svec. Londin. Anglorum

Dignissimo.

D_N. A N D R E Æ
VICTORIN,

Offic. Fer. ad Stiernfors POSSESSORI
Solertissimo.

D_N. MAG. S V E N O N I
NORING,

ADJUNCT. Eccles. Fredsbergensis
Adecuratissimo.

D_n. E R I C O S J Ö G R E N,
CIVI & MERCATORI Carolitad. Prudentissimo.

BUS nec non FAUTORIBUS Maximis.

tius posthac fortunas suas Tantis commendare PA-
demicum submisso animo dat, dicat, consecrat.

Plurimum Rever. Præclarissimorum, Clarissim.
NUM VESTRORUM

millimus,
TORNER.

VIRO
Plurimum Reverendo nec non Præclarissimo,
Dn. Mag. E R I C O
A F Z E L I O,
PASTORI in Fredsberg Vigilantissimo,
Meritissimo,

PARENTI OPTIMO.

Has.
Lucubrationes. Academicas.

Ob.

Immortalia. Sibi. Præstita.

Ab. Ipsis. Cunis. Beneficia.

In.

Venerabundi. Ac. Gratissimi. Animi.

Pignus.


Meliora. Cum. Non. Possit.

Devote.

PARENTI. Optimo.

Offert.

Filius obedientissimus,
ERICUS TORNER.



D. D.

Plerisque notissimum esse crediderim, Rem herbariam, nobilissimam istam Historiæ Naturalis partem, ab antiquissimis inde ad nostra usque tempora Medicis aliisque doctrina conspicuis viris, dignissimam fuisse visam, quam cura diligentiaque indefessis, excolerent, idque ob usum, quem præstant Plantæ, maximum in foro Medico æque ac vita communi.

Recentiori ævo, hæc Nostra Scientia mira emicuit luce facieque a pristina illa toto, quod ajunt, cœlo diversa, in formam nempe disciplinæ redacta systematibus, vagis incertisque civitatem haud concedentibus, nec ulterius progredientibus, quam lata patet via per explicatas Plantarum partes, rite definita Genera, Speciesque nominibus suis Genericis & Specificis tandem determinatas.

N. D. PRÆSIDI fundamentum hocce in *Generibus Plantarum* primum jactum, inque *Speciebus Plantarum*, qua maximam partem, ad umbilicum perductum, acceptum est referendum; adeo ut jam amœnissimæ
A huic

huic arti dicatus, in inquirendis Plantis, dilucidissima hac methodo determinatis, a recto tramite vix ac ne vix quidem deflectere queat.

Ast, cum illud, Summi Creatoris Promptuarium, Globi terraquei vegetabilia fovens, innumeris fere superbiat divitiis, fieri omnino nequit, ut uni vel alteri facultas subministretur hæc omnia DEI mirabilia oculis usurpandi, sed hominum multa millia, unitis viribus in id incumbant necesse est, ut præcipua colligantur atque detegantur.

Ad hunc obtinendum finem, vidimus & quidem stupentes, multos infinita solertia Europæ angulos perlustrasse, alios, cum dispendio opum, sanitatis atque vitæ, æstuanti se tradidisse Pelago, inque remotissimas penetrasse Indias, unice ut Plantas quasdam indagarent ad incrementum Monarchiæ Botaniciæ usumque publicum.

Ante annum & quod excurrit, addidit Popularis meus Dn. ABR. JUSLENIUS, ceteris in Speciebus Plantarum determinatis Plantis, *Centuriam*, quam ab exteris Botanicis singulari desiderio quæsitam, insignique voluptate susceptam fuisse, sæpius audivi; hoc quoque tempore, præter illas, quæ in locupletissimo Horto Academico quotidie occurrunt plantas, non sine speciali oculorum oblectamento mihi met contemplari licuit, ingentem satis Plantarum cohortem, quas varii, iique Celebratissimi Europæ Botanici ad N. D. PRÆSIDEM transmissere: cumque in his repertæ sint tot novæ, atque raræ plantæ, nondum determinatæ, quæque orbi literato sine damno scientiæ
ignotæ

ignotæ esse nequeant, enixe rogavi, ut, mihi specimen quoddam edituro Academicum potestas daretur ex his fasciculum s. Centuriam legendi, eamque Orbi curioso sistendi, probe sciens sumtus laboremque nullo modo minui, utrum jucundi an utilis quid elaborum.

Voti itaque compos factus, naturæ Consultis iterum Centum Plantas exhibeo, collectas partim in alpe *Baldo* prope Veronam Italiæ a D. D. SEGUIERO, partim a D. D. SAUVAGESIO in agro *Monspeliensi*, nonnullas ad *Caput B. Spei* in Africa a D. D. BURMANNO communicatas: nec non a D. D. MILLERO undiquaque conquisitas, quasdam denique in interioribus Indiæ Orientalis lectas a variis nostratibus.

Harum nonnullæ vel prorsus incognitæ, ut in Scriptis Botanicorum earum ne minima quidem appareant vestigia, vel etiam tam leviter tactæ, ut hucusque non modo circa Genera, verum etiam Species earundem ancipites hæsimus.

101. JUSTICIA (*pectinata*) diffusa, spicis axillaribus sessilibus tomentosis secundis dorso imbricatis bracteis semilanceolatis.

Habitat in India.

Herba facie *Justiciæ* repentis. Rami oppositi, longi, diffusi. Folia opposita, oblonga, integerrima, lævia, petiolata. Spicæ axillares, solitariae, secundæ, tomentosæ; flosculis minimis; subtus longitudinaliter distiche imbricatæ: Bracteis plurimis, semilanceolatis, pectinatim digestis.

102. JUSTICIA (*gangetica*) foliis ovatis, racemis simplicibus longis, floribus alternis secundis, bracteis obsoletis.

Habitat in India 24

Planta herbacea. Caulis tetragonus, lævis, ad genicula pilosus.

Folia opposita, ovata, brevissime petiolata, integerrima, glabra aut margine baseos ciliata: *Racemi* ex alis foliorum superiorum, solitarii, longi, erecti, indivisi: *Floribus* alternis, secundis, remotis, subsessilibus, erectis. *Bractææ* subulatae, geminae, minimæ. *Calyces* oblongi, hispidi. *Corollæ* majusculæ.

103. IXIA (*bulbifera*) foliis lineari-ensiformibus, axillis bulbiferis, floribus alternis: staminibus lateralibus.

Habitat Miller 24

Radix bulbosa. Folia graminea s. angusto-ensiformia, erecta, linea laterali elevata. *Caulis* pedalis, teres, simplicissimus: Foliis 2 s. 3, alternis, longitudine caulis. *Bulbus* parvus ex singula ala folii caulini. *Flores* ad apicem caulis 2 s. 3, alterni, remoti, sessiles, *Spathis propriis* solitariis, membranaceis, laceris. *Corolla* campanulata (*Hemerocallidis*), sexpartita, flavescenti-albida fundo flavo. *Stamina* tria, corolla dimidio breviora, patula, distantia. *Stylus* albus, staminibus longior, ad latus superius flexus. *Stigmata* tria, oblonga, filiformia.

104. IXIA (*plicata*) foliis ensiformibus plicatis villosis.

Sisyrrhinchium ramosum æthiopicum, foliis plicatis nervosis & incanis, radice tuberosa phœnicea. *Breyn. cent. t. 37. Raj. hist. 1168.*

Habitat in Æthiopia. Burmannus 24

Bulbus tunicatus. Folia bifariam margine imbricata ut in Iridibus, ensiformia, secundum nervos profunde plicata & villosa. *Scapus* simplex, nudus, villosus, semipedalis, teres. *Bractææ* sub singulo flore ex tribus foliolis lanceolatis: infimo majore.

Flores tubo longiusculo violacei. *Obs.* *Planta Breynii* luxurians erat, a nostra diversa ramis.

105. IXIA (*corymbosa*) floribus corymbosis pedunculatis, caule ancipiti. *Habi-*

Habitat ad C. B. Spei.

Radix bulbus? *Caulis* semipedalis, compressus, anceps, basi vagina membranacea cinctus, in medio *folium* unum alterumve, ensiforme, verticale, nervosum, altero margine amplexicaule, caule brevius. *Corymbus* terminalis ex pedunculis sæpius bifloris. *Flores* pedicellati, excepti *Spathis propriis* ovatis, diphyllis, persistentibus. *Corollæ* cæruleæ. *Germen* inter corollam & *spathas*.

106. GLADIOLUS (*alopecuroides*) foliis linearibus, spica disticha imbricata.

Habitat in Æthiopia. *Burmannus*. 2

Bulbus simplex. *Caulis* pedalis, teres, vestitus foliorum vaginis ancipitibus, latiusculis, nervosis, in folium lineare acutum terminatis. *Spica* terminalis, disticha, imbricata *Spathis* ovatis, duplicatis: inferiore durior. *Flores* parvi, sessiles, vix Plantagine majores.

107. CYPERUS (*elatus*) culmo triquetro nudo, umbella foliosa supradecomposita, spicis digitalibus imbricatis: spiculis subulatis.

Habitat in India.

Gramen magnum. *Culmus* triquetus, lævis. *Umbella* supradecomposita, inæqualis.

Involucrum universale polyphyllum, longissimum; *partialia* spicis breviora.

Spicæ sessiles non modo ad umbellas universales, sed & partiales ac proprias, longitudine digiti, ferrugineæ, imbricatæ ex *Spiculis* teneris, subulatis, distichis.

108. CYPERUS (*glomeratus*) culmo triquetro nudo, umbella triphylla supradecomposita, spicis conglomerato-rotundatis, spiculis subulatis. *Cyperus* aquaticus *Italicus* procerior, locustis tenuissimis in racemum dense congestis. *Mich. gen. 45. Segu. veron, 3. p. 68. t. 2. f. 2.* *Cyperus* capitulis glomeratim congestis, feminibus aristatis. *Mont. gram. 14. t. 1. f. 1.* *Ha-*

Habitat in Italiae paludosis Seguvier 24

Structura *Cyperi elati*, ut forte ex eo in loco frigidiore prognatus, unde planta brevior, *Spicae* congestae, conglomeratae nec elongatae. Hæc, *Phalaris oryzoides*, *Andropogon alopecuroides* (Arundo facta alpium ravenne) plantæ cum oryza crescentes, in Indiis & Italia communes, forte cum oryzae seminibus propagatae.

109. CYPERUS (*difformis*) culmo triquetro subnudo, umbella diphylla simplici trifida, spicis capitatis: intermedia sessili.

Habitat in India.

Culmus pedalis, triqueter, versus basin uno alterove folio vestitus.

Umbella simplex radiis tribus, terminatis capitulo e spiculis; quarto capitulo sessili inter radios umbellæ. *Spiculæ* minutissimæ ex squamis ovatis, obtusis, oblongiusculæ læves, sessiles; at dum semina maturantur, cadunt sensim flosculi spicularum inferiores, unde rachis nuda, ferrata infra spiculæ partem remanentem ovatam, pedicellum ferratum mentiens diversa facie.

Involucrum universale diphyllo, longissimum; *partialia* nulla.

110. CYPERUS (*pumilus*) culmo triquetro nudo, umbella diphylla composita, spiculis alterno digitatis lanceolatis, glumis mucronatis.

Gramen cyperoides pumilum elegans e maderaspatan. Pluk alm. 179. t 191. f. 8.

Habitat in India.

Similis *Cypero compresso*, sed brevior, distinctus *Glumis* minus imbricatis & apice mucronatis. *Involucra* umbellis longiora. *Spiculæ* vix alternæ & fere digitatæ.

111. CYPERUS (*squarrosus*) culmo triquetro folioso, umbella foliosa glomerata, spicis striatis squarrosis.

Gra-

Gramen hirsutum Indicum, glomeratis capitulis lagopiæmulis, gluma e squamis plurimis purpurascens, aristata una donatis compactili. *Pluk. alm. 178. t. 190. f. 7.*

Habitat in India.

Radices capillares. *Culmi* plurimi, conferti, triquetri, vix pollicares. *Folia* graminea, longitudine plantæ, inferne culmos obvestientia. *Umbella* nulla distincta, sed radii umbellæ undique vestitæ spiculis confertis. *Spiculæ* ovatæ, ferrugineæ e squamis striatis, mucronatis, recurvatis. *Involucra* diphylla.

112. SCIRPUS (corymbosus) culmo triquetro folioso, corymbis lateralibus simplicibus; terminali prolifero, spicis subulatis.

Habitat in India.

Culmus bipedalis, triqueter. *Folia* basi vaginantia. *Corymbus* terminalis: pedunculis intermediis longioribus proliferis. *Involucrum* universale corymbo longius. *Seta* foliacea, infra singulum pedicellum. *Spiculæ* ferrugineæ ex squamis imbricatis, quarum superiores longiores convolutæ in spicam subulatam. *Corymbus* simplex, pedunculatus e singula foliorum caulinorum ala.

113. APLUDA (aristata) flosculis sessilibus aristatis.

Schœnanthus avenaceus procumbens maderaspatanus, bu-pleuri folio. *Scheuchz. gram. 119.*

Habitat in India.

Culmi longi, pedales, glabri, geniculis inflexis. *Folia* graminea, scabra, petiolata.

Racemi terminales & laterales, ex singulis axillis foliorum; foliolum interne vaginans ad singulum pedicellum.

Flores terni in eodem pedicello.

Flores tribus flosculis, quorum intermedius sessilis, corollæ basi aristata longa contorta; reliqui duo flosculi æquales, pedicello glumaceo insidentes.

Obs. removeatur itaque Synonymon *Scheuchzeri* ab *Apluda mutica* & ad hanc speciem amandetur. 114.

114. BROMUS (*distachyos*) spicis duabus erectis *Flor. Palest.* 55.

Gramen spica Brizæ minus, *Bauh. pin.* 9. *prodr.* 19. *Pluk. alm.* 173. t. 23. f. 1.

Habitat in Europa australi, Oriente.

Gramen parvum est, distinctissimum a reliquis imprimis spicis sæpius duabus, quarum inferior sessilis. Spicæ sunt circiter decemfloræ, aristis ex apice glumarum prodeuntibus.

115. HORDEUM (*bulbosum*) flosculis omnibus fertilibus aristatis, involucris setaceis basi ciliatis.

Gramen bulbosum ex alepo. *Bauh. pin.* 2. *prodr.* 4. *theatr.* 21. *Bauh. hist.* 2. p. 431.

Gramen secalinum bulbosa radice *Barr. ic.* 112. f. 2. *Scheuchz. gram.* 19.

Gramen secalinum chalepense, radice tuberosa. *Moris. hist.* 3. p. 179. f. 8. t. 6. f. 7.

Habitat in Italia, Oriente.

Radix bulbosa globosa. Culmus tripedalis. Spica Hordei murini. Flores flosculis 3, rarius 2, pedicellatis. Involucella propria sunt aristæ 2, basi subciliatæ. Gluma exterior, in omnibus flosculis, longa, aristata. Vagina summi folii ventricosa est.

116. SCABIOSA (*maritima*) corollulis quinquefidis radiantibus calyce brevioribus, foliis pinnatis: summis linearibus integerrimis.

Scabiosa maritima parva. *Bauh. hist.* 3. p. 7.

Scabiosa maritima, rutæ caninæ folio. *Bocc. sic.*

Habitat Monspeli ☉

Caulis bipedalis, sublævis. Folia radicalia lanceolata, obtusa, obtuse dentata, lævia, venosa, tandem pinnatifida, Scroph. Rutæ caninæ simillima. Caulina pinnata, integerrima; glabra, canaliculata; suprema linearia, sæpius integerrima. Pedunculi longissimi. Calycis infima foliola

ola lanceolata, corolla longiora. *Corollæ radiatæ*, quinquefidæ, albo purpurascens. *Anthere & Stigmata* purpurea. *Paleæ* setaceæ, articulatae & fere aculeis erectis muricatae. *Fructus* Scab. atropurpur.

117. ELÆAGNUS (*spinosa*) foliis ellipticis.

Elæagnus mathioli, incolis Selsefun. *Rauw. it.* 112. 276.

Habitat in Ægypto. h

Differt ab *Elæagno angustifolia*: Foliis dimidio brevioribus, sed non angustioribus, ellipticis s. oblongo ovalibus figura & magnitudine vaccin. uliginosi, supra magis nudis & viridibus. *Flores* quadruplo minores & acutiores. *Spina* valida ad singulum ramuli exortum. *Cortex* in herba argenteus; in caudice ruber, glaber.

118. RIVINA (*octandra*) floribus octandris.

Rivina humilis racemosa, baccis puniceis *Plum. gen.* 48.

β *Rivina scandens racemosa*, amplis solani foliis, baccis violaceis. *Plum. gen.* 48.

Habitat in America meridionali. *Miller* h

Differt a *Rivina humili*, cui similis, Foliis glabris, floribus octandris; *Anthervis* oblongis, incumbentibus; *Stigmate* diverso.

119. RIVINA (*paniculata*) paniculata racemis compositis.

Habitat in India h.

Flores tetrandri.

120. LYSIMACHIA (*monnieri*) foliis ovali-oblongis, pedunculis unifloris, caule repente.

Habitat in America meridionali. *Hallman.*

Planta repens. *Caulis* simpliciusculus. *Folia* opposita, ovato-oblonga, obtusa, integerrima, glabra, sessilia.

Pedunculi solitarii, ex alternis alis foliorum, foliis paulo longiores, uniflori.

121. CONVULVUS (*gangeticus*) foliis cordatis obtusis mucronatis villosis, pedunculis unifloris, caule diffuso.

Habitat in India.

Caules procumbentes, ramosi, bipedales. *Folia* cordata, pollice sæpe latiora, obtusa cum mucrone, petiolata: tenella Folia & Flores hirsutissimi. *Pedunculi* capillares, breves.

122. CONVULVULUS (*linifolius*) foliis lanceolatis, villosis, pedunculis filiformibus villosis multifloris longis, caule erecto.

Habitat in Indiis.

Caules erecti, facie lini. *Folia* lanceolata, nec ut in Convolvulo alfinoide obovata.

123. CAMPANULA (*dichotoma*) capsulis quinquelocularibus tectis calycis sinubus reflexis, caule dichotomo.

Campanula hirsuta, oeymi folio caulem ambiente, flore pendulo. *Bocc. sic. 83. t. 45. f. 1. Moris. hist. 2. p. 459. f. 5. t. 3 f. 26. Raj. hist. 736.*

Habitat in Sicilia, Syria.

Caulis dichotomus. *Folia* oblonga, scabra. *Flores* solitarii, e dichotomia & apicibus ramorum, cernui, structura C. Medit, sed dimidio minores, ac duplo majores quam in Sibirica.

124. VERBASCUM (*spinosum*) caule fruticoso spinoso.

Verbascum creticum spinosum frutescens. Lob. illust. 113.

Leucojum creticum spinosum incanum luteum Baub. pin. 201.

Leucojum spinosum. Alp. exot. 36.

Glastivida prima e candia. Pon. bald. 114.

Habitat in Creta h.

125. ATROPA (*arborescens*) caule frutescente, pedunculis confertis, corollis limbo revolutis, foliis ovato-oblongis

Belladonna frutescens, flore albo, nicotianæ foliis. Plum. spec. 1.

Habitat in America meridionali.

126. SOLANUM (*æthiopicum*) caule inermi herbaceo, foliis ovatis dentato-angulatis, pedunculis fertilibus unifloris.

Sola-

Solanum pomiferum, fructu rotundo striato duro. *Bauh.*
pin. 167. *Bauh. hist.* 3. p. 620.

Solanum pomiferum herbariorum. *Lob. ic.* 265.

Habitat in Æthiopia. *Burserus.*

Caulis herbaceus, inermis. *Folia* petiolata, ovata, angulata, glabra, fere *Solani nigri vulgaris*, sed majora. *Pedunculus fertilis* simplex, uniflorus, crassior, juxta *Pedunculum sterilem* biflorum, teneriorem, infra folium singulum. Aculeos in tota planta, ne quidem in calyce ullos observo, quos fortuitos in averfis foliis vidit J. B. Differt a *Melongena* toto cœlo & floribus vix *Solano nigro* majoribus.

127. *LYCIUM (capsulare)* foliis lanceolatis tenuibus glabris, pedunculis calycibusque pubescentibus, pericarpis capsularibus.

Habitat in Mexico. *Miller.* h.

Frutex ramis teretibus. *Spine* patentēs, simplices, longitudine foliorum ad ramificationes & folia. *Folia* lanceolata, tenuia, glabra, subpetiolata. *Pedunculi* axillares, simplices, folio breviores, uniflori, pubescentes uti *Calyx*. *Corollæ* rotatæ. *Stigmata* duo, angustā, erecta. *Capsula* ovata, mucronata, bilocularis.

128. *RHAMNUS (lineata)* inermis, floribus hermaphroditis, foliis ovatis lineatis repandis subtus reticulatis.

Habitat in Zeylona, China. *Osbeck.* h.

Frutex ramulis subpubescentibus. *Folia* alterna, petiolata, parva, ovata, repanda, lineata, glabra; subtus venis transversis inter nervos, unde transversim reticulata. *Calyx* quinquepartitus albus, lanciniis lanceolatis. *Petala* 5, figura calycis. *Stamina* 5, subulata, longitudine corollæ, intra singula petala singula, nec cum petalis alternantia. *Stylus* longitudine staminum. *Stigma* simplex. *Bacca* calycis rudimento insidens.

129. *DIOSMA (crenulata)* foliis lanceolato-ovalibus crenatis.

Habitat in Æthiopia Burmannus h.

Rami rubentes. *Folia* glabra, lanceolato-ovalia, obtusa, petiolata, subtus punctis adspersa, margine absolete serrato, puncto pellucido intra singulam ferraturam. *Calyx* laciniis linearibus, nec ut in uniflora, ovatis. *Flores* solitarii.

130. *CHIRONIA* (*caryophylloides*) fruticosa, calycibus inflatis rotundatis.

Centaurium foliis binis oppositis angustis linearibus, flore magno rubente. *Burm. afric.* 205. t. 74. f. 1.

Habitat ad Cap. B. Spei. Burmannus h.

Frutex Ramis teretibus, tomentosis, duris. *Folia* opposita, sessilia, lineari-lanceolata, crassiuscula, fere Rosmarini. *Rami* corymbosi, terminati floribus.

Calyces pentaphylli, tubo longo corollæ ampliores: foliolis ovatis, concavis, tomentosis, minime carinatis. *Corollæ* infundibuliformes limbo quinquepartito: laciniis ovatis. *Antherae* oblongæ, funis instar contortæ.

131. *VINCA* (*lutea*) caule volubili, foliis oblongis. †

Apocynum scandens, salicis folio, flore amplo plano. *Catesb. car.* 2. p. 53. t. 53.

Habitat in Carolina.

132. *NERIUM* (*zeylonicum*) foliis lanceolatis oppositis, ramis rectis.

Apocynum arborefcens, neril flore, minus. *Burm. Zeyl.* 23. t. 12. f. 2.

Habitat in India. h.

Rami stricti, longi, teretes, purpurascens. *Folia* opposita, lanceolata, lævia, erecta, acuminata, subpetiolata, in nostra angustiora, quam in figura Burmanniana.

133. *CHENOPODIUM* (*ferotinum*) foliis deltoideis sinuato-dentatis rugosis glabris uniformibus, racemis terminalibus.

Cheno-

Chenopodium hispanicum procerius, folio deltoide. *Tournef. inst.* 666.

Blitum ficus folio. *Raj. angl.* 3. p. 155.

Habitat in Hispania, Anglia, Monspeli. *Sauvages* ☉.

Caulis altitudine humana, ramosissimus, sero admod. florens.

Folia pallide viridia, similia *Chenop.* albo, sed latiora.

134. **SALSOLA** (*Tragus*) herbacea erecta, foliis subulatis spinosis lævibus, calycibus ovatis.

Kali spinosum cochleatum. *Bauh. pin.* 289.

Kali spinosum foliis longioribus & angustioribus. *Tournef. inst.* 247.

Drypis Theophrasti. *Tabern. hist.* 413.

Habitat in Europa australi. *Sauvages* ☉.

Planta erecta, tripedalis, lævis. *Folia* cylindrica, lævia, supra planiora. *Calyx* cinctus margine foliaceo s. rosaceo; nomen *C. B.* excludatur itaque in *Salsola Kali* quæ decumbens parva est.

135. **GOMPHRENA** (*brasiliensis*) foliis ovato-oblongis, caule erecto, capitulis pedunculatis globosis aphyllis +.

Amarantho affinis *brasiliensis*, glomeratis parvisque floribus. *Breyn. cent.* 1. 52.

Habitat in Brasilia.

136. **LASERPITIUM** (*peucedanoides*) foliolis lineari-lanceolatis venosotriatis distinctis.

LasERPitium peucedanoides, foliorum segmentis angustissimis. *Seguier.* 3. p. 227. t. 7.

LasERPitium exoticum, lobis angustissimis integris. *Pluk. alm.* 207. t. 96. f. 2.

Habitat in Baldi valle vaccariae. *Seguier* 4.

137. **LIGUSTICUM** (*cornubiense*) foliis decompositis incisis: radicalibus ternatis lanceolatis integerrimis +.

Smyrnum tenuifolium nostras. *Raj. suppl.* 254. *angl.* 3. p. 209. t. 8.

Saxifraga cornubiæ. *Pet. herb.* 1. 26. f. 9.

Habitat in Cornubia.

138. SE-

138. SESELI (*Turbith*) involucro universali monophyllo, seminibus striatis villosis stylatis.

Seseli tertium. *Bærb. lugdb.* 1. p. 50.

Thapsia fœniculi folio. *Baub. pin.* 148?

Habitat in Europa australi 24.

Radix perennis. *Caulis* semipedalis. *Folia* supradecomposita, linearia, divaricatissima, fere setacea. *Involucrum universale* monophyllum. *Partialia* polyphylla, umbellulis breviora. *Flores* albi. *Styli* persistentes. *Semina* oblonga, villosa.

139. RHUS (*typhinum*) foliis pinnatis argute ferratis lanceolatis; subtus tomentosis.

Rhus virginianum. *Baub. pin.* 517. *Dill. Elth.* 253.

Habitat in virginia h.

Arbor frequens in hortis, diversa a *Rhoë coriaria*, *Foliis* lanceolatis, nec ovatis, argute & æqualiter ferratis, *Panicula* conglomerata nec racemosa; *Periolis* secundum totam longitudinem linearibus, nec apice dilatato in foliolum desinentibus. *Foliola* sæpius XIX, nec IX tantum. Differt a *Rhoë glabra* cui foliis simillima, *Ramis* hirtis uti typhi Cervini, *Foliis* non subtus glabris, *Panicula* dense conglomerata. *Flores* fere fœmineos tantum vidi.

140. NARCISSUS (*odorus*) spatha uniflora, nectario campanulato petalis dimidio breviora.

Narcissus albus, magno odore flore, circulo pallido.

Baub. pin. 253. *Rudb. elys.* 2. p. 44. f. 3.

Narcissus latifolius VII. *Clusii hist.* 1. p. 157.

β. *Narcissus latifolius maximus*, albo flore, calyce breviter tubo. *C. B.* 51.

γ. *Narcissus latifolius*, calyce amplo & aureo, caule striato. *C. B.* 51.

δ. *Narcissus latifolius pallidus*, calyce amplo, alter. *C. B.* 52.

ε. *Narcissus latifolius sulphureus*, brevi calyce. *C. B.* 53.

Habitat in Stiria 24.

Differt

Differt a *Narc. Pseudo-Narcisso*, nectario petalis dimidio brevior.

141. ORNITHOGALUM (*comosum*) racemo brevissimo, bracteis lanceolatis longitudine florum, petalis obtusis, filamentis subulatis.

Ornithogalum spicatum s. comosum, flore lacteo. *Baub. pin. 70. Rudb. elys. 2. p. 135. f. 1.*

Ornithogali lactei species major. *Besl. eyf.*

Habitat.

142. ORNITHOGALUM (*narbonense*) racemo oblongo, filamentis lanceolatis membranaceis, pedunculis floribusque patentibus.

Ornithogalum majus spicatum, flore albo. *Baub. pin. 70.*

Ornithogalum narbonense. *Dod. pempt. 222.*

Habitat in Galliae australis, Italiae agris &c.

Bractea ovato lanceolata, brevissima. Petala candida, subtus viridissima, soloque margine alba.

143. PASSERINA (*sericea*) foliis ovatis tomentosis, caule hirsuto, floribus coronatis.

Thymelaea sericea, foliis oblongis, floribus tubulosis angustissimis. *Burm. afr. 135. t. 43. f. 2.*

Habitat in Aethiopia. Burmannus h.

Caulis tenuis, hirsutus. Folia opposita, sessilia, ovata s. ovalia, utrinque tomentosa & sericea. Flores terminales, sessiles in capitulum, albi, extus villosi-sericei. Stamina 4 intra tubum; ori tubi insident filamenta 4 bipartita, in quorum singula bifurcatura anthera.

144. PASSERINA (*levigata*) foliis ovatis glabris acutis, floribus obtusis.

Thymelaea foliis planis acutis, coma & floribus purpureis.

Burm. afr. 137. t. 49. f. 3.

Habitat in Aethiopia h.

Caules filiformes. Folia opposita, ovata, glabra, acuta. Flores terminales. Tubo longo filiformi. Limbo quadrifido obtuso. Stamina 4, intra tubum, 4 supra tubum corollae.

145. SCLE-

145. **SCLERANTHUS** (*polycarpus*) calycibus fructus patentissimis spinosis, caule subvillosa.

Polycarpum. Dalech. hist. 444.

Polygonum montanum, vermiculatæ foliis. Bauh. pin. 281.

Habitat Monspelii & in Italia. Sauvages ☉.

Differt a *Scl. annuo* planta longe minore; caule magis divaricato, subpubescente.

Calyces secundum totam longitudinem caulis, nec in corymbum congesti, patentes, acutissimi ut fere spinosi, ventre sulcati; nec calyces habent margines membranaceos ut in *Scl. annuo*; adeoque synonymon *Columnæ* ad hanc spectat speciem.

146. **POINCIANA** (*elata*) caule inermi.

Habitat in India h.

Caulis fruticosus, inermis. *Folia* alterna, bipinnata; foliolis numerosis, sextuplo minoribus quam in *P. pulcherrima*, magis oblongis, minime emarginatis, utrinque glabris. *Corymbi* breviores. *Calyces* coriacei. *Filamenta* longiora quam in altera, minus stricta, atro purpurea, basi tomentosa. *Antherae* flavæ. *Germen* tomentosum.

147. **SILENE** (*rigidula*) petalis bipartitis, fructificationibus erectis subsessilibus; calycibus subpilosis.

Viscago cerastii foliis, vasculis erectis sessilibus. Dill. elth. 416. t. 319. f. 397. ?

Habitat ☉

Differt a *Sil. anglica*, cui simillima, *Caule* rigidioris magisque divaricato, quamvis folia caulina utrinque subpilosa & margine inferiore ciliata; *Floribus* pedunculis brevissimis; *Fructibus* erectis; *Calycebus* paulo magis pilosis, & floescentibus stria angulari fusca caduca; *Petalis* pallide incarnatis.

148. **SILENE** (*mutabilis*) petalis bifidis, calycibus angulatis pedunculatis, foliis lanceolato-linearibus.

Lychnis

Lychnis flore albo minimo. *Raj. hist.* 996.

Habitat in Italia ☉

Differt a *Silene nocturna*, cui simillima *Foliis* linearibus, nec ovatis, etiam ad radicem. *Floribus* pedunculatis, nec subsessilibus; *Calycibus* decagonis s. fulcis 10 profundis, nec obsoletis; *Petalis* post florescentiam extus purpurascens, nec virilibus.

149. *SILENE (stricta)* petalis emarginatis, calycibus glabris reticulato-venosis acuminatis, pedunculo longioribus, caule dichotomo stricto.

Silene caule subdichotomo, floribus erectis subsessilibus, foliis lanceolatis piloso-viscidis. *Amœn. acad.* 1. p. 158.

Habitat Tolosæ Burserus, in Hispania Læfing.

Caulis erectus, glaber, dichotomos, strictissimus, viscidus. *Folia* lineari-lanceolata; superiora longitudine articulorum. *Calyces* clavati, erecti, glabri, venis reticulati, dentibus acutissimis: *Pedunculi* solitarii, brevissimi, e dichotomia caulis. *Corollæ* parvæ petalis emarginatis, corona valde obsoleta. Differt a *Silene Beben* floribus erectis, calycibus angustis acuminatis, foliis angustis.

150. *ARENARIA (bavarica)* foliis semicylindricis carnosiss obtusis, petalis lanceolatis, pedunculis terminalibus subbinatis.

Alpine alpina, foliis teretibus obtusis, flore albo. *Segvier.* 1. p. 429.

Saxifraga bavarica *Raj. hist.* 1033.

Habitat in Bavaria, Baldo. Segvier.

Caulis ramosus, subdichotomos, patulus, durus, geniculatus. *Folia* linearia, obtusa, carnosissima, subtus convexa, opposita, articulis longiora. *Pedunculi* terminales, sæpius bini, uniflori: altero bracteis duabus. *Petala* lanceolata, tenuia, alba. *Stamina* 10. *Styli* 3.

151. *ARENARIA (striata)* foliis linearibus erectis, calycibus oblongis striatis, C Caryo-

Caryophyllus saxatilis, polygoni minoris folio & facie.
Burj. XI. 129.

Habitat in alpidibus Austriæ & montibus vallis augustæ

Radix perennis. *Caules* plures, decumbentes, lignosi. *Cauliculi* plures, recti, palmares, simplices, nudi. *Folia* opposita, linearia, crassiuscula, subtus convexa, nuda, acutiuscula, erectissima, basi utrinque connexa, longitudine articulorum. *Pedunculi* tres, breves, terminales: lateralibus bracteis duabus notatis. *Calyces* oblongi ut in *Cerastiis*. *Petala* 5, oblonga, integra, calyce duplo longiora. *Stamina* 10. *Styli* 3. *Capsula* ovata.

152. **CERASTIUM** (*manticum*) glabrum, caule stricto, foliis lanceolatis, pedunculis longissimis, capsulis globosis. *Alfne* caryophylloides glabra, florum pediculis longissimis. *Segu. ver. 3. p. 178. t. 4. f. 2.*

Habitat Veronæ. Sequier ☉

Caulis & Statura *Stellariæ gramineæ*, tota glabra. *Folia* lineari lanceolata. *Caulis* erectus. *Panicula* dichotoma bracteis parvis, lanceolatis: marginibus lateralibus membranaceis, ut ovatæ evadant. *Petala* obtusa. *Stamina* 10. *Styli* 3.

153. **POTENTILLA** (*aurea*) foliis radicalibus quinatis ferratis acuminatis, caulinis ternatis, caule declinato.

Potentilla foliis quinatis acute ferratis ora sericea, petalis maculatis. *Hall. belv. 339. t. 6. f. 4.*

Quinquefolium minus repens alpinum aureum. *Baub. pin 325.*

Habitat in alpidibus Helvetiæ.

Differt a simillima *Potentilla verna* *Foliolis* apice dentibus acutissimis, sæpe quinis, & quod carina foliorum & margo hirsutæ sericea sint, ut in *Alchimilla alpina*. *Foliola* magis basi approximata quam in *P. verna*.

154. **POTENTILLA** (*nitida*) foliis digitatis tomentosis apice conniventi-tridentatis, caulibus unifloris, receptaculis lanatis.

Comaroi-

Comaroides alpina argentea sericea, persici flore. Segu.
ver. 1. p. 497.

Trifolium alpinum argenteum, persici flore. Baub. pin. 328:
Pon. bald. 222. Raj. hist. 615.

Habitat in Baldo Seguiet. 24

Affinitate jungitur *Potentillæ caulescenti*, planta ipsa tomentoso villosa, sericea, nitida. *Folia* quinata: foliolis ovatis (lateralibus duobus minoribus) apice tridentatis. *Caulis* uniflorus, digitalis, paucis parvisque foliis instructus. *Flos* majusculus, disco seminum lanato.

155. *POTENTILLA (caulescens)* foliis digitatis apice connatis, serratis, caulibus multifloris; receptaculis hirsutis.

Quinquefolium album majus. Baub. prodr. 139. caulescens
Baub. pin. 325.

β *Quinquefolium album minus alterum. Baub. pin. 325.*

Quinquefolium 2 minus, albo flore. Clus. hist. 2. p. 105.

Habitat in Alpibus Helvetiæ, Austriæ, Stirie, Tyrol,
Horto Dei.

Affinitate summa jungitur *Potentillæ albæ*; convenit foliorum figura, corollis albis, receptaculis pilosis; Sed hæc *Caule* erecto, *Foliis* quinatis instructo, apice corymbofo, multifloro, *Foliis* minoribus, subtus minus villosis viridibus. *Pot. alba* vero *caulibus* filiformibus, decumbentibus sub foliis subnudis, *Floribus* longe pedunculatis; *Foliis* subtus villosis sericeis, quod in hac non obtinet.

156. *SATUREIA (spinosa)* ramis spinosis, foliis hispids.

Satureia cretica frutescens spinosa. Tourn. cor. 13.

Satureia cretica spinosa. Pon. ital. 21.

Habitat in Creta †

Caulis pedalis, fruticosus, rigidus, ramis in spinam nudam terminatis. *Folia* ad apices ramulorum, opposita, conferta, lingulata, subacuta, sessilia basi attenuata,

adsperfa utrinque punctis excavatis & Pills raris, rigidis, albidis, erectis; margine scabra.

157. NEPETA (*Scordotis*) foliis cordatis obtusis, floribus verticillatis.

Scordium alterum lanuginosius verticillatum. Bauh. pin. 248.

Scordotis. Alp. exot. 284. t. 283. Clus. hisp. 2. p. 312.

Habitat in Creta. Miller. 24

Planta pedalis. Caulis pilosus. Folia opposita, petiolata, cordata, obtusa, crenata, rugosa, tomentosa, crassiuscula. Flores verticillati. Bractæ lanceolatæ, erectæ, pilosæ, longitudine calycis. Calyces pilosi. Corollæ albæ: Labro concavo crenato punctis purpurascentibus. Filamenta subincarnata.

158. BETONICA (*hirta*) procumbens, verticillis disjunctis, foliis lineari-lanceolatis.

Sideritis hirsuta procumbens. Bauh. pin. 233.

Sideritis heraclea 3. Clus. hist. 2. p. 40.

Habitat Monspeli.

Folia superiora, lanceolata, integerrima. Calyces erecti, acuti, mutici. Corollarum labium superius indivisum, erectum, concavum, nec erosum s. bifidum; labii lacinia media subbifida; lateribus reflexis.

159. MENTHA (*exigua*) floribus verticillatis, foliis lanceolato-ovatis glabris acutis integerrimis.

Mentha aquatica exigua. Raj. angl. 3. p. 232.

Calamintha aquatica belgarum & matthioli. Lob. ic. 505.

Mentha hortensis 4. Fuchs. hist. 291.

Habitat in Anglia. Miller 24.

160. DRACOCEPHALUM (*peregrinum*) floribus oppositis, bracteis lanceolatis integerrimis, foliis lanceolatis mucronatis dentatis.

Dracocephalon foliis ex lanceolato-linearibus rarius dentatis. Act. Gætt. 3. p. 436.

Habi-

Habitat in Sibiria. 2

Caulis semipedalis, brachiatus, obtuse tetragonus, lævis. *Folia* opposita, petiolata, glabra, mucronata, utrinque 3. f. 4. ferraturis spinosis dentata. *Flores* oppositi versus apices ramulorum, brevissime pedunculati. *Bractee* geminae, parvae, lanceolatae, integerrimae. *Calycis* labium superius bifidum, incurvum, acutum; inferius tripartitum, æquale. *Corolla* cærulea; labio superiore fornicato, emarginato; inferiore trilobo: intermedia lata retusa. Faux inflata. *Stigma* bifidum.

161. GERARDIA (*delphinifolia*) foliis linearibus pinnatifidis, caule subramoso.

Habitat in India ☉

Caulis pedalis, tetragono-teretiufculus, erectus, lævis, Ramis rarioribus, alternis. *Folia* opposita, linearia, pinnata, glabra. *Flores* axillares a medio ad summitatem caulis digesti, oppositi, secundi, brevissime pedunculati. *Calyx* tubulosus: dentibus 5, linearibus, longitudine calycis. *Corollae* oblongae, fauce hiantes, Limbo quinquelobo, rotundato: lobis duobus superioribus brevioribus. *Stamina* 4, *Antherae* didymae, quarum duae Spina baseos deorsum protensa; duae vero Spinae *Antherae* parallelae. *Stylus* longitudine *Staminum*. *Stigmata* obtusa.

162. ANTIRRHINUM (*viscosum*) foliis radicalibus quaternis lanceolatis, caulinis linearibus solitariis, calycibus villosis cauli approximatis.

Habitat in Hispania.

Caulis pedalis, erectus, lævis, ramis remotis raris. *Caules* steriles diffusi, foliis quaternis lanceolatis. *Folia* caulina vix decem, remota, linearia f. subulata. *Rami* versus flores nudi. *Racemus* simplex, longus, erectus, piloso-viscidus: pedicellis cauli approximatis. *Calycis* foliola lanceolata, membranacea, carina viridi piloso-viscida. *Corollae* fulvae, magnitudine Lineariae. 163.

163. LANTANA (*involucrata*) foliis oppositis, caule inermi, floribus capitato-umbellatis involucrato-foliosis. Viburnum americanum odoratum, folio parvo orbiculato, floribus & baccis folio interceptis. *Pluk. alm. 386. t. 114. f. 5 Herm. par. 384.*

Camara arborescens, salviæ folio. *Plum. gen. 32.*

Habitat in America meridionali h.

Removeatur itaque varietes β a *Lantana annua.*

164. SELAGO (*rapunculoides*) spicis corymbosis, foliis dentatis.

Rapunculus foliis angustissimis dentatis, floribus umbellatis. *Burm. afr. 113. t. 42. f. 1.*

Habitat in Æthiopia. Burmannus.

Corollæ tubus filiformis; Limbus quinquefidus: lacinia superiore majore; duabus vero infimis minoribus. Stamina 4. longitudine corollæ. Stigma crassiusculum, bifidum.

165. RUELLIA (*tentaculata*) foliis obovatis, verticillis obvallatis: spinis longis inermibus bifurcatis.

Euphrasia *Pluk. pbyt. 279. f. 7.*

Habitat in India.

Caulis herbaceus, tetragonus, lævis. Folia obovata, subacuta, tenuia. Verticilli florum cincti spinis filiformibus, mollibus nec rigidis, erectis, floribus duplo longioribus, apice in duos mucrones fissis.

166. BARLERIA (*longifolia*) spinis verticillorum senis, foliis ensiformibus longissimis scabris.

Anchusa angustifolia, verticillis longis aculeis armata. *Pluk. alm. 30. t. 133. f. 4.*

Habitat in India.

Caulis obsolete tetragonus, erectus, hispidus. Folia opposita, lanceolato-ensiformia, integerrima, scabra, herbacea, articulis triplo longiora. Flores verticillati, axillares, utrinque circumsepti spinis tribus, rigidis, fulvis, crassis, longitudine articulorum.

167. CLERODENDRUM (*fortunata*) foliis simplicibus, lanceolatis integerrimis.

Habitat in India h.

Frutex incanus. Folia opposita, lanceolata, nuda, integerrima, petiolata, per petiolos parum decurrentia. Pedunculi axillares, dichotomi, foliis breviores. Calyces patentes.

168. ACANTHUS (*dioscoridis*) foliis lanceolatis integerrimis margine spinosis. Gronov. orient. 192. +

Acanthus dioscoridis verus sativus. Moris. hist. 3. p. 604. Raj. suppl. 636. Rauwolf. it. 285.

Habitat in Libano.

169. LEPIDIUM (*chalepense*) foliis sagittatis sessilibus dentatis.

Draba chalepensis repens humilior, foliis minus cinereis & quasi viridibus. Moris. hist. 2. p. 314.

Habitat in Oriente.

Facies *Thlaspeos campestris* ut vix distingvatur nisi siliculis. Removenda a *Lepidio Draba* (quæ cochlearia est) siliculis perfecte *Lepidii*, nec ut in illa basi gibbis.

170 LEPIDIUM (*alpinum*) foliis pinnatis integerrimis scapo subradicato, siliculis lanceolatis mucronatis.

Nasturtium alpinum tenuissime divisum. Baub. pin. 105. Baub. hist. 2 p. 918. Raj. hist. 826.

Cardamine alpina 3 minima. Clus. hist. 2. p. 128

Thlaspi montanum minimum. Dalech. hist. 1180.

Habitat in alpibus Sneeberg, Tyrolensibus, Saltzburgen-sibus, Helveticis, Baldi. Seguiet.

Folia *Lepidii petræi* (a quo removenda) sed caulis non paniculatus, verum scapus rigidus, nec ramis filiformibus. Siliculæ lanceolatæ, stylo mucronato; *Lepid. Petræi* vero siliculæ ovales absque stylo.

171. IBERIS (*saxatilis*) foliis lanceolato-linearibus car-nosis,

nohis acutis integerrimis ciliatis, ramulis suffruticosis.

Thlaspi saxatile, vermiculato folio. *Baub. pin. 107. Garid. aix. 466. t. 101.*

Lithon-thlaspi tertium fruticosius, vermiculato acuto folio. *Column. ecphr. 1. p. 278. t. 277. f. 1.*

Habitat in Italia, Galliæque australis aridis sabulosis. Sauvages. †

Fruticulus digiti altitudine: *Ramis* senescentibus sæpius exaridis, erectiusculis, subpubescentibus. *Folia* sparsa, linearia, sed medio latiora, subtus carnosio-convexa, acuminata, margine tenuiora, ciliata. *Corymbus* terminalis, purpurascenti-albidus, erectus.

172. *SISYMBRIUM (bursifolium)* caule erecto folioso, racemo flexuoso, foliis lyratis.

Hesperis flore albo minimo, siliqua longa, folio profunde dentato. *Boerb. lugdb. 2. p. 20.*

Draba palustris filiquosa major alpina, bursæ pastoris folio. *Cupan. cat. 3.*

Habitat in Italiæ montibus subhumidis. Miller. ☉

Caulis pedalis, teres, ramosus, foliosus, lævis. *Folia* lyrato-sinuata, omnino Bursæ pastoris, glabra, fragilia, amplexicaulia. *Racemi* terminales, flexuosi. *Pedicelli* brevissimi, rigidi, erecti. *Calyces* læves, erecti, clausi. *Petalum* alba, cuneiformia, obtusiuscula, erecta: lamina longitudine calycis. *Stamina* 6, parva.

173. (*SISYMBRIUM (orientale)*) foliis pinnato-hastatis tomentosis, caule lævi.

Erysimum orientale, sonchi folio, flore sulphureo, siliquis longissimis. *Boerb. lugdb. 1. p. 14.*

Habitat in oriente. Miller. ☉

Similis *Sisymbrio Irione*, sed folia tomentosa.

174. *SINAPIS (erucoides)* siliquis lævibus æqualibus, foliis lyratis oblongis glabris, caule scabro.

Sinapi hispanicum pumilum album. Tournef. inst. 227.

Eruca

Eruca sylvestris, flore albo, Italica. *Barrel. ic. 132.*

Habitat in Italia, Hispania ad vias, vineas. ☉

Caulis scaber. *Folia* erucæ, sed magis oblonga, viridia, glabra. *Petala* alba Raphani, erecta, unguibus vix distantibus. *Calyx* patens, exsiccatus violaceus evadens. *Siliquæ* glabræ, *Pedunculis* patentibus, racemosis, simplicibus.

175. GERANIUM (*palustre*) pedunculis bifloris longissimis declinatis, petalis integris, foliis quinquelobis incis. *Dill.*

Geranium batrachioides palustre, flore sanguineo. *Dill. elth. 160. t. 134. f. 161.*

Geranium sanguineum majus. *Best. cyst. vern. 1. t. 9. f. 2.*

Habitat in Russia, Germania. ✕

Distinguitur a *Ger. Sylvatico*, cui foliis simillimum, *Pedunculis* longis, ante florescentiam recurvis, post florescentiam non erectis sed declinatis, *Petalis* integris nec emarginatis.

176. GERANIUM (*bohemicum*) pedunculis bifloris, petalis emarginatis, arillis hirtis, cotyledonibus trifidis: medio truncato.

Geranium batrachioides bohemicum, capsulis nigris hirsutis. *Dill. elth. 159. t. 133. f. 160.*

Geranium batrachioides minus annuum purpureo-cæruleum. *Moris. præl. 167. hist. 2. p. 511. f. 5. t. 15. f. 1. mala.*

Geranium bohemicum batrachioides annuum. *Raj. hist. 1063.*
Habitat in Bohemia? *Miller.* ☉

Planta similis *Ger. molli*, sed *Flores* cærulæi. *Radice* annua a pluribus similibus differt; ab omnibus autem *Cotyledonibus* figura foliorum *Liriodendri*. *Calyces* fructus magni. *Styli* deflorati saturate purpurei. *Villositas* plantæ viscosa est.

177. GERANIUM (*argenteum*) pedunculis bifloris, petalis emarginatis, foliis peltatis septempartitis trifidis tomentoso-sericeis.

Geranium argenteum alpinum. *Baub. pin.* 318. longius radicatum. *Pon. veron.* 341. t. 342. *Segu. ver.* 1. p. 471. t. 10.

Geranium argenteum montis Baldi. *Baub. hist.* 3. p. 474.

Habitat in Baldi summis præruptis rupibus *Segvier.* 24

178. *SIDA (asiatica)* foliis cordatis indivisis, stipulis reflexis, pedunculis petiolo longioribus, capsulis hirsutis, calyce brevioribus.

Abutilon indicum, flore luteo minore. *Fl. Zeyl.* 520.

Alceæ affinis *indica* *abutilon* dicta, flore parvo, foliis molli-
libus profunde venosis, filiculis lanuginosis. *Pluk.*
phyt. 126. f. 5.

Habitat in India ☉.

Planta similis *Sidæ abutilo* a qua distingvenda. *Caulis* vil-
lofus, crassus. *Folia* cordata, nervosa, acuminata, in-
æqualiter serrata, non lobata; subtus valde venosa,
utrinque durius tomentosa. *Stipulæ* crassæ, reflexæ.
Pedunculi folio longiores. *Fructus* cernuus, valde hir-
sutus, calyce brevior, capsulis mucrone bifido.

179. *SIDA (indica)* foliis cordatis sublobatis, stipulis reflexis, pedunculis petiolo longioribus, capsulis scabris calyce longioribus.

Abutilon indicum. *Comm. hort.* 2. t. 1. *Baub. hist.* 2. p. 959. *Mor-
ris. hist.* 2. p. 531. f. 5. t. 19. f. 4.

Altheæ Theophrasti similis. *Baub. pin.* 316.

Habitat in India. ☉

Similis *Sidæ abutilo* sed tenerior. *Caulis* villosus. *Folia* cor-
data, utrinque obsolete lobata, serrata, mollia, vix con-
spicue tomentosa. *Stipulæ* teneræ, reflexæ. *Peduncu-
lus* petiolo longior. *Fructus* erectus; *Capsulis* carina
hispidis, apice in angulum rectum terminatis.

180. *SIDA (occidentalis)* foliis cordatis sublobatis, stipulis patentibus, pedunculis petiolo brevioribus, capsulis pendulis obtusis.

Abutilon vesicarium, flore fructuque majore non crispo.
Dill. clth. 7. t. 6. f. 6. *Habi-*

Habitat in America ☉.

Pedunculi fructus pendentés, a basi deorsum flexi. *Capsula* obtusæ apice rotundatæ.

181. MALVA (*limensis*) caule erecto herbaceo, foliis lobatis, spicis secundis axillaribus, seminibus lævibus.

Habitat in America. Miller. ☉

Planta simillima *Malvæ peruvianæ* (seminibus denticulatis) ut forte proles hybrida. Differt tamen *Foliis* quinquelobis nec septemlobis, subvillosis nec glabris, sed marginibus in utraque subfuscis. *Floribus* magis in capitulum congestis, quamvis fructus calycis in racemum secundum transeant, sed pedicellati. *Corollis* cæruleis, nec purpureis. *Calycibus* punctis elevatis venosis, quod non in altera.

182. MALVA (*scabrosa*) caule fruticoso hirtio, foliis lobatis hirtis, floribus solitariis, pedunculo subnutante.

Malva africana frutescens, flore rubro. Comm. hort. 2. p. 171. t. 86.

Malva africana frutescens, flore parvo corneo unguiculis atro-rubentibus. Pluk. amalth. 140. t. 431. f. 5.

Habitat in Æthiopia. Burmannus, Millerus. ☿

Frutex altitudine humana, solitarius, teres, viridis, hirtus.

Folia quinqueloba, obtusa, ferrata, venosa, rugosa, hirta, *Pedunculis* teretibus longitudine foliorum. *Stipulae* patentes, lanceolatae, integræ. *Pedunculi* axillares, filiformes, solitarii, uniflori, subnutantes, non articulati, hirti, foliolo ad basin instructi. *Calyx* exterior triphyllus. *Corollæ* carneæ fundo purpureo.

183. ANTHYLLIS (*lotoides*) fruticosa, foliis ternatis æqualibus, capitulis terminalibus sessilibus.

Habitat in Æthiopia. Royenus ☿.

Frutex Caule hirsuto. *Folia* absque stipulis, sessilia, ternata, lanceolata, subcarnosa, inferiora glabra, floribus proxima subpilosa, conferta. *Capitula* terminalia, solitaria,

litaria, sessilia. *Bractæ* sub singulo calyce tres, lineares, molles, hirsutæ. *Calyces* hirsuti. *Facies* Loti, sed *Stamina* coadunata. *Legumina* brevia, hirsuta. *Stipule* in planta nullæ.

184. DOLICHOS (*sinensis*) caule volubili, pedunculis multifloris erectis, leguminibus pendulis cylindricis torulosis.

Dolichos sinensis. *Rumph. herb. 5. p. 375. t. 134.*

Habitat in India. ☉

Legumina communiter in singulo pedunculo duo vel tria. *Semina* esculenta a nautis emuntur in China pro alimento & viatico.

185. ERVUM (*soloniense*) pedunculis cirrhosis subunifloris, petiolis mucronatis, foliolis obtusis.

Vicia pedunculis uni-biflorisve, petiolis diphyllis, brevissime cirrhosis. *Guett. Stamp. 1. p. 235.*

Vicia minima. *Riv. tetr.*

Vicia minima præcox Parisiense. *Tournef. inst. 397.*

Vicia præcox verna minima soloniensis, semine hexædro. *Morif. bles. 321. hist. 2. p. 63. f. 2. t. 4. f. 14. Raj. hist. 902.*

Habitat in Anglia, Gallia. ☉

Caules spithamei, subtomentosi. *Petioles* non in cirrhum, sed in mucronem terminantur. *Foliolis* 4 ad 8, lanceolatis, obtusis. *Stipule* utrinque acuminatæ. *Pedunculus* foliis longior, terminatus filo, sub quo *Flores* duo, alterni, pedicellati.

186. CORONILLA (*minima*) procumbens, leguminibus angulatis articulatis nodosis.

Ferrum equinum gallicum, siliquis in summitate. *Baub. pin. 349.*

Polygala Cortusi. *Baub. hist. 2. p. 351.*

Habitat in Italia, Gallia australi 24.

Caulis diffusus, vix spithameus, basi lignosus. *Folia* pinnata: *Foliolis* 9, pluribusve, obovatis: infimis cauli adstan-

adstantibus. *Stipula* vaginacea, a tergo emarginata denticulis duobus. *Folia* sæpe vix milio majora.

187. INDIGOFERA (*trifoliata*) leguminibus compressis pendulis, foliis ternatis lanceolatis.

Habitat in India.

Caules adscendentes, apice subpubescentes, simplices. *Stipulae* nullæ. *Folia* ternata: foliolis lanceolatis, nudis; infimis oppositis. *Flores* ex alis foliorum, plurimi, subsessiles. *Legumina* compressa, subscabra, 3 s. 5-sperma, suturis obtusis, infra folia pendula: *Folia* enim inferiora cadunt quam primum flores inferiores defloruere.

188. ASTRAGALUS (*depressus*) acaulis, scapis folio brevioribus, leguminibus cernuis, foliolis subemarginatis.

Astragalus supinus minor, flosculis albis. *Boerb. lugdb.*

2. p. 54.

Habitat in alpinis Europæ 24.

Radix fibrosa *Ramulis* brevissimis, arcte ad terram depressis. *Scapi* omnium brevissimi, *Floribus* pluribus, sæpe 7. *Calyces* adpersi pilis raris, fuscis, adpressis. *Corollæ* parvæ, albæ, carina apice purpurascens. *Legumina* cylindrica, acuminata, longitudine scapi, glabra, bilocularia, reflexa, pedicellis brevissimis, rigidulis. *Folia* digitalia, pinnata: foliolis 15, s. 17, ovalibus, vix emarginatis, glabris, subtus pilis albis incanis.

189. LACTUCA (*Serriola*) foliis verticalibus carina aculeatis.

Lactuca sylvestris costa spinosa. *Bauh. p. 123.*

Lactuca sylvestris laciniata. *Moris. hist. 3. p. 58. f. 7. t. 2. f. 17.*

β. *Lactuca sylvestris italica* costa spinosa, sanguineis maculis adpersa. *Herm. paradis. 191. t. 194.*

γ. *Lactuca sylvestris annua* costa spinosa, folio integro colore cæcio. *Moris. hist. 3. p. 58.*

Habitat in Europa australi ☉.

Differt a *Lactuca virosa* (a qua distingvenda) foliorum plano verticali nec horizontali.

190. **HIERACIUM** (*sanctum*) foliis lyratis obtusis dentatis, scapo nudo multifloro.

Habitat in Palæstina. Hasselquist. 24.

Radix tenuis, fibrosa. *Folia* radicalia, plura, obovata, lyrata, dentata, obtusa, petiolata, pubescentia. *Scapus* foliis duplo altior, subpubescens, apice gerens *Flores* 5, s. 7, parvos, luteos, *Pedunculis* villosis, *calycibus* imbricatis, acutis.

191. **CARDUUS** (*mollis*) foliis pinnatifidis linearibus subtus tomentosis, caule inermi unifloro.

Carduus mollis, laciniato folio. *Bauh pin.* 377.

Carduus mollior L. *Clus. hist.* 2. p. 151.

Habitat in alpibus Austriæ.

Folia radicalia, plura, linearia, pinnatifida, subinermia, subtus albo tomentosa, supra subpubescentia. *Caulis* teres, simplex, subtomentosus, inferne parum foliosus, superne subnudus, inermis. *Calyx* terminalis, majusculus, crassiusculus, squamis mucronato-subulatis non pungentibus. *Corolla* purpurea. *Folia* echinopis annui sunt.

192. **BIDENS** (*atripicefolia*) caule paniculato, foliis deltoideis alternis dentatis petiolatis stipulatis.

Habitat in America meridionali. Miller.

Caulis lævis, herbaceus, paniculatus. *Folia* deltoidea (*Chenopodii*), tenuia, dentata, nuda, in petiolos desinentia, alterna. *Stipulae* pares, reniformes instar auricularum. *Flores* solitarii, terminales, oblongo-ovati, absque radio. *Receptaculum* subulatum, paleis longitudine flosculorum apice villosis. *Flosculi* minimi. *Semina* oblonga, tetragona, mutica.

193. **SANTOLINA** (*squarrosa*) pedunculis unifloris lateralibus, foliis ovalibus mucronatis recurvatis.

Habitat in Æthiopia. Burmannus h.

Fruticulus determinate ramosus, inæqualis. *Folia* alterna,

na, sessilia, ovalia, mucronata, glabra, recurvata. *Pedunculi* axillares, laterales, solitarii, uniflori, folio longiores. *Calyces* oblongi, imbricati, læves; squamis intimis linearibus, membranaceis, patulis. *Flosculi* æquales, hermaphroditi, interstincti. *Paleis* linearibus, longitudine flosculorum. *Semina* coronata Pappo brevissimo.

194. **SANTOLINA** (*pubescens*) corymbis simplicibus fastigiatis, foliis lanceolatis indivisis villosis.

Coma aurea africana fruticosa omnium maxima, foliis tomentosis & incanis. *Comm. hort. 2. p. 93. t. 47.*

Habitat in Æthiopia. Burmannus. †

195. **ANTHEMIS** (*alpina*) foliis dentato-pinnatis linearibus integerrimis, caule villosa uniflora, paleis sphacelatis, petalis ovatis.

Chamæmelum alpinum saxatile perenne, flore albo singulari, calyce nigricante. Till. pisc. 39. t. 19. f. 1. Segu. ver. 3. p. 282.

Habitat in alpidibus Tyroli, Baldo. Seguier. 4

Habitus Anth. arvensis sed minor. Caulis adscendens, indivisus, una cum tota planta villis adpersus. *Folia* ex dentatis pinnata: pinnis rarius bifidis, integerrimis, linearibus, acutis. *Calycis* squamæ lato margine membranaceo nigro cinctæ. *Paleæ* maximam partem nigræ. *Radii* petala alba, rotundata, integra.

196. **ANTHEMIS** (*fruticosa*) suffruticosa, foliis linearibus triquetris tomentosis indivisis, floribus sessilibus.

Bellis frutescens africana camphorata. Raj. suppl. 221.

Bellidiastrum subhirsutum linifolium. Vaill. act. 588.

Habitat in Æthiopia. Burmannus. †

Caulis frutescens, a foliis deciduis scaber. *Folia* subulato-linearia, triquetra, conferta, sessilia, undique tomen-

tomentosa, supra & versus apices ramorum magis. Flores solitarii, terminales, sessiles. Calyx foliolis imbricatis, apice armatis membrana sublaceolata, concava. Radius albus. Paleae subsetaceae.

197. ARCTOTIS (*paradoxa*) flosculis radiantibus sterilibus, paleis disco longioribus coloratis; foliis bipinnatis linearibus.

Chrysanthemum foliorum pinnis brevissimis dentatis. *Burm. afric. 175. t. 64.*

Habitat in Æthiopia. *Ascanius. ☉*

Folia multa multifida, linearia laciniis & lacinulis, glabra. Rami inferne alterni, foliosi. Pedunculi terminales, nudi, uniflori. Calycis squamæ interiores membranaceo apice. Radius luteus, sterilis. Paleae flavæ, truncatæ, radio longiores. Semina linearia, basi lanata, apice Corona pentaphylla, ovata, patente, longitudine seminis, figura calyculi statices.

198. ARCTOTIS (*superba*) flosculis radiantibus quinquepartitis, foliis pinnatis, dentatis: laciniis bipartitis.

Jacobæa africana, stœbes facie, flore ampliore, petalis radialibus trifidis. *Volk. norib. 224. t. 224. ?*

Habitat in Æthiopia.

Folia magis pinnata quam in reliquis; supra viridia, subtus albo tomentosa, pinnis dentatis bipartitis. Flosculi radiales quinquepartiti: laciniis lateralibus brevioribus, profundioribus, lutei, subtus purpurei.

199. CAREX (*baldensis*) spicis androgynis ovatis triquetris ternis congestis terminalibus sessilibus, involucrio diphylo.

Carex alpina, capitulis albis: squamis triquetris & pulchre lucentibus. *Segu. ver. 1. p. 125.*

Gramen junceum montanum, capite squamoso. *Bauh. pin. 6. prodr. 13. t. 13.*

Gramen junceum e monte baldo. *Bauh. hist. 2. p. 509.*
Habi-

Habitat in Baldo. Seguiet. 24

Folia angustiora. Culmus spithameus, triqueter. Involucrum diphyllum, spicis longius. Spicæ tres, albæ, sessiles, confertissimæ, terminales; Flosculi feminei stylo simplici inter squamas spicæ, sæpius tribus, inferioribus, Semine magno tritici. Reliquæ squamæ flosculis masculis staminibus, ni fallor, 4, s. 5.

200. ANDROPOGON (*gryllus*) paniculæ pedunculis simplicissimis, trifloris: flosculo hermaphrodito aristato ciliato basi barbato.

Ægilops bromoides juba purpurascente. Baub. hist. 2. p. 436. Scheuchz. gram. 267.

Gramen sparteum festuceum s. ægilops sparteum villosa. Barr. ic. 18. f. 2.

Habitat in Rhætia, Helvetia, Veronæ, Sauvages, Seguiet.

Panicula verticillata. Flores triflori, loco calycis communis lana. Flosculus intermedius hermaphroditus sessilis, Arista terminali, tortili: Valvula exterior ciliata. Masculi laterales, solitarii utrinque, æquales, oppositi, pedicellati, desinentes in aristam tortilem. Folia subtus villis adspersa.

S. D. G.



à

L' AUTEUR.

Lorsque notre amitié est fondée sur la vertu & le des-intéressement , nous ressentons toujours la plus vive joye , de ce qui arrive d' heureux a nos amis. Ainsi Monsieur, Vous ne Vous étonnerés pas , que trouvant en Vous ces deux qualités si animables , je sente aussi une joye inexprimable de la belle dissertation que Vous allés defendre. Je Vous en felicite de tout mon coeur , & il n'y a rien que je souhaite plus ardemment , que le ciel vaille combler tous Vos desseins , d' un succès , tel que Vous le souhaitez Vous meme. Ce sont les Voeux de celui , qui jusques a la mort sera avec estime

Monsieur ,

Votre très humble Serviteur u

Et ami ,

JEAN BJÖRCK.